Gaworski Joannis Nepom: Laudatio Iurisprudentiae.—

LAUDATIO
JURISPRUDENTIÆ

circa solennem ad Doctoratum in Utroque Jure inaugurationem

PERILLUSTRIS CLARISSIMI & ADMODUM REVERENDI DOMINI

M. CAROLI
MARXEN

Utriusque Juris LICENTIATI, Ecclesiarum: Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ ARCHIDIACONI, Parochialis S. Nicolai Vesołoviæ PRÆPOSITI, Judiciorum Consistorii Generalis Cracoviensis ASSESSORIS,

Lauream Doctoratûs conferente

Tertio semperque auspicatissimo sub Regimine

MAGNIFICO, PERILLUSTRI CLARISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. M. ANDREA DOMINICO
LIPIEWICZ,

Utriusque Juris DOCTORE & PROFESSORE, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ CUSTODE, Parochialium, in Koniusza & Igołomia CURATO, Scholarum Novodvorscianarum, necnon Contuberniorum; Jurisperitorum, & Regio-Jagelloniani, PROVISORE, Facultatis Juridicæ PRO-CANCELLARIO & DECANO, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis AMPLISSIMO

RECTORE,

Distinctissimis coram Hospitibus
Ordinibusque Academicis
In Ecclesia Collegiata
Sanctorum Omnium.

à

M. JOANNE NEPOMUCENO GAWORSKI,
Utriusque Juris Professore, Collega Juridico, Parochialis in Zebrzydowice PRÆPOSITO, GEOMETRA Jurato.

D I C T A,

ac

Eidem Perillustri Domino NEO-DOCTORI
in votivam supremi istius literarii honoris aggratulationem,
perenneque reverentis animi testimonium

Annô Jubilæi Magni MDCCLXXVI.

Pridie Nonarum Novembris

N U N C U P A T A.

ORATIO

Si quod dicendi genus honestius evenisse, aut optabilius accessisse potuit, tum præsenti Oratione, qua & Jurisprudentiæ laudes contexere, & Personæ gloriam literarum adminiculô immortalitati commendare contingit, majus esse nequivit. Ob eam ipsam causam, quantum animo meo inuratur gaudium, necesse est? Equidem neque Jurisprudentia suis caret elogiis, neque Persona sua laudatione destituitur. Hæc inquam illa hodie celebranda proponitur, quæ scientiarum domina & regina est, à qua, in omne hominum genus, leges & universa prosperitas manavit, quæ benefactis honores & præmia, malefactis ignominias & supplicia proponens, studia bonorum excitat, malorum improbitatem coërcet: qua sublata, non domus ulla, non civitas, non hominum inter se societas, non denique ipsa universitas rerum stare, ac tueri se potest. Porro vix Jurisprudentiam cogito, cum statim

occurrunt animo utilitates & uberrima commoda, quibûs illa vitam hominum auget: ſplendor & gloria, quam cuique amplisſimam affert: voluptas maxima & incredibilis jucunditas, qua in omni fortunæ gradu cumulatisſimè nos afficit: ut proinde in tanta dicendarum rerum copia, quid agam, quò me vertam, aut quam viam inſiſtam? prorſus ignorem. Non alterum deeſt. Pro Viro ſiquidem in Utroque Jure Doctoratûs Lauream capeſſente, cujus tantus eſt virtutis ſplendor, tanta ſcientiæ dignitas, ut si dotes ejus naturæ & animi conſpiciamus, cum & amemus & obſervemus quam maximè, dicendum eſt. Quæ ſingula, quantam in proferendo argumenti conferunt magnitudinem? ſpecie planè inſolita, vim omnem ſuperant eloquentiæ.

Quid igitur in hac mea mediocritate ingenii, dicendique tenuitate potisſimum afferre potero, quod neque à ſumma Jurisprudentiæ, neque laudatisſimi Viri præſtanti amplitudine, alienum eſſe, videatur? Eſt itaque quærendus omnino in verbis modus, quærendus inquam, dum non cum imperitis & rudibus, ſed cum doctis & ſapientibus, non cum populo, ſed

cum

cum literatorum flore, non in obscuro terra rum loco, sed in illustri & præclara loci cele britate res est, ut non ad popularem sensum verbis solùm, sed ad Jurisprudentiæ dignitatem atque Neo-Doctoris scientiam, rationibûs utens, Orationem accommodem. His itaque sortis meæ in angustiis, quibus me undiquaque circumveniri videtis, AA, nihil profectò habeo subsidii, nisi opem Vestram & benignitatem, qua multorum animos jacentes erigere consuevistis, implorem. Verum pace vestra dixerim, peccatum est, quòd ad hominem indisertum, & jamdiu dicendi insuetum, provincia præsens, delata sit. Nisi fortè vobiscum reputetis, me & impositi officii non immemorem fore, & liberiùs ùt necessitas postulat, locuturum. Utcunque tamen res cadat, testificabor, me vestro jussui obtemperâsse: cùm non parere, nefas esse duxissem. Quamobrem vobiscum mihi communis erit noxa, ut si sustinere tantam orationem non potuero, concessæ dicendi provinciæ vestra culpa sit, mea receptæ. Itaque duo hæc, quorum alterum ex altero consequitur, persequemur. *Primum*: Jurisprudentiam ab honestate & æquitate sibi gloriam vendicare. *Alterum*: Virum, ab Juris-

risprudentia omnium ætatum prædicationem mereri. Primum pace vestra, favorabilique benevolentia manifestè deducam. Alterum brevitati temporis prospiciens, ne Viri honesti modestiæ, anxius molestusque evadam, subticebo. At ne penitus laudes ejus prætereundo deserere videar, vestris oculis legendas, posteritatique relinquam.

Cùm multa sunt AA. à quibus amplissima in homines derivantur bona, alia quæ ætas, alia quæ conditio, alia quæ scientiarum facultas, alia quæ præstantis dona offerunt naturæ, quæ libero fortunæ sparguntur imperio, sorte cadente consurgunt, jucundissima evincuntur turpitudine, infami nutriuntur honore, grassante peste reviviscunt alia, tum sola illa bona, quæ honesta, & quæ à laudato virtutum studio proficiscuntur, credetis? Optimus enim vivendi modus nobis eligendus est, ita vivendum, ut rationem reddendam arbitremur, cùm omne nostrum studium in hoc debeat maximopere versari, ut boni aliquid semper efficiamus, si possumus: possumus autem, si à recta conscientia transversum unguem non discedentes, honestatem utilitati præferamus. Persua-

ſuaſum itaque nobis eſſe debet, ut nihil avarè, nihil impiè, nihil injuſtè, nihil voluptuosè nihil incontinenter faciamus. Homines ſumus! honeſtis bona non turpibus quæruntur, nefarium crimen eſt, honeſtatem propter utilitatis magnitudinem relinquere. Audiamus Salvianum lib. 7. de Guber. Dei, *ubi non eſt vera honeſtas, non eſt vera felicitas.* Omnis perturbationis fons eſt, intemperata commodorum uſura, à tota mente, etiam à recta ratione defectio, ſic à præſcriptione aversa judicii, ut nullo modo appetitiones animi & regi & contineri queat. Nihil quoque tam tetrum eſt, homine indignius, deteſtabilius, contra naturam formidandum nihil, peſsima admiſsione turpitudinis, adeo, ut si omnia mala cum tanto inhoneſtatis peſsimo collata ſint, comparanda non erunt. Contra AA, honeſtas inimica libidinum, quæ in rebus aut expetendis, aut fugiendis, ut rationem ſequamur admonet, pacem animis adfert, eosque quaſi quadam concordia placare & lenire videtur.

Sed mihi omnis oratio cum virtute, non cum deſidia, cum dignitate, non cum voluptate, cum ratione, non cum amentia eſt, cum

iis

iis qui se Patriæ, qui suis Civibus, qui laudi & gloriæ, non qui somno, conviviis, & delectationibus se esse natos arbitrantur. Tam magnam, tam singularem, necessariam atque incredibilem, sanctam, divinamque animorum dotem, Jurisprudentiæ acquiri studio, ejus copiosissima quadam diffundi in omnes facultate, necnon ab honestate sibi vendicare gloriam, si non numerando, saltim orando assequar. Siquidem quod tam probrum dedecus, quod scelus, flagitium aut facinus admitti concipere possum, quod Jurisprudentiæ arbitriô, investigari, proferri, atque extingui non possit, cujus præpotenti robori unusquisque nostrum, sedes, aras, focos, Deos penates subjectos esse agnoscat, necesse est. Est enim fortitudo ejus sine mensura, dexteritas sine pondere, ubi præsidet illa, hærent omnium animi, franguntur vires, reprimitur audacia, confunditur temeritas, emollescit furor, cessat tumultus, malitia ad unionem amorum componitur. Multipotens illa omnium domina est, ubi majestatem suam, vim & robur explicat, ibi pax optata indulget quieti, quies populum ad tranquillitatem commovet, tranquillitas provocat candorem, candor catenat amicitiam, amicitia o-

omnem

mnem Reipublicæ felicitatem parit. Quid putatis honestius, quid concipitis optabilius moderatione sensuum? his pacem Jurisprudentia conciliat, quid temperantia oportunius? temperantiam evincit, quid existimatione hominis præstantius? illa existimationis parens est, quid mediocritate decentius? illa optima rerum regula, quid verecundiâ desiderabilius? illa pudorem defendit, quid pietate laudabilius? promovet pietatem. Quid est tam regium, tàm liberale atque munificum, quàm opem ferre supplicibus, consolari afflictos, dare salutem, liberare periculis homines, illa urbanitatem cum clementia colit, quid vita ipsa dulcius? vitam tuetur, mores cohonestat, commoda in omnibus præbere consuevit. Quænam porro gens tam inculta, tam barbara, tam expers omnis humanitatis, ut jura, legesque ignoret? Nonne à Moyse Hebræi, à Solone Athenienses, à Lycurgo Spartani, à Minoe Cretenses, à Philolao Thebani & Carthaginenses, ab Hippodamo Milesii, à Zoroastra Bactriani, à Gymnosophistis Indi, à Druidis & Saliis Galli, à Decemviris Quirites, ab his subditæ ditiones & gentes, jura legesque acceperunt? Hinc non modò amplissima Ju-

risprudentiæ illiusque legum authoritas, sed etiam magna illarum varietas, populorum, gentiumque diversis studiis, ingenioque accommodata, imò immensa propemodum multitudo.

Quantum pupilla oculis, fundamenta domibus, rector Civitati, anima corpori, tantùm Regnis & Imperiis, conditioni mortalium Jurisprudentia prodest, & plùs merito affert honestate. Equidem virtus illa intellectualis est, dirigens mentem ad operandum honestum. Ut verò corpora nostra sine mente, ita Civitas sine legibus, veluti suis partibus, nervis, sangvine, ac membris, esse non potest. Legum ministri Magistratus, legum interpretes Judices, legum denique omnes servi sumus, ut liberi ab inhonestate esse posimus, singulas Jurisprudentiæ debemus. Hujus itaque præstantisimæ scientiæ dignitatem honestatemque cum veteres olim Imperatores intelligerent, jurisperitos Civitate donârunt, illis statuas & publicos honores decreverunt, illos summîs privilegiîs & primîs in Urbe dignitatibûs decorârunt. Hanc profectò ob causam charum Augusto Trebatium, Vespasiano Cassium, Trajano Neratium, Hadriano Julianum,

Anto-

Antonio Scævolam, Septimio Papinianum, Alexandro, Ulpianum aliis Imperatoribus ac Principibus alios acceptos fuisse è munimentis legimus literarum.: Sciverunt enim & crediderunt Jurisprudentiam esse umbonem quendam, quo jacula vibrata repellimus, arcum quendam quo. certissimas in scopum ejaculamus sagittas, lanceam quandam, qua adversa confodimus, & humi prosternimus, machinam quandam, qua impetum malefériatorum in veritatis muros irruentium, frangimus, dissipamus. Per eam Principum & Regum Consiliarii efficiuntur, ut per eos orbis imperia gubernentur. Per eam Civitatum Senatores constituuntur, ut per eos imperita hominum multitudo regatur, vita tranquilla Civium & æqualitas defendatur. Per eam Advocati producuntur in forum, ut per eos injuriæ depellantur, & per Judices jus suum unicuique reddatur: Per eam denique, Tribunalia, Curiæ, fora, Respublicæ vivunt, respirant, & quod honestum est ab eâ obtinent & recipiunt. Qua sublata (ùt sapientibus placet) virtutes omnes corruere necesse est, dum præcipit: ut honestè vivamus, consulit: dum lædi vult neminem, corpori prospicit, dum suum

 cuique

cuique jubet tribuere, facultates ac fortunas defendit, tuetur, & custodit. Credite AA. multò latiùs dominari legum quàm Regum potentiam: quippe quæ ipsis etiam Regibus principatur. Illa sceptra libenter adorant populi, quæ se legibus inclinant. Illas maximè decet jus audire, qui jus dicunt. Nulla sine Magistratu ordinata communitas, nullus Magistratus sine legibus. Hac basi stat Regnorum authoritas, & Regnorum incolumitas hac labante nutat. *Lex est omnium Divinarum & humanarum rerum Regina*, loquitur Chrysippus. *Lex est regula, per quam omnia totius Mundi negotia & animalia politica reguntur. Lex est Princeps, cui obedire debemus: est Dux, quem sequi congruit: est regula, quam faciendis quibusque applicare decet*, ait Aristoteles lib. 3. Polit: O admirandam Jurisprudentiæ potentiam! o honestatem inexplicabilem & quandam divinitatem, virtutum indagatricem expultricemque vitiorum, sine qua nihil in hac vita mortali securum, nihil quietum, nihil tranquillum, nihil honestum, nihil bonum, nihil beatum.

Illa sapientum consiliorum architecta, illa reconditarum prudentiæ artium reseratrix, illa

æqui

æqui & boni, imò æqui & iniqui, ceu lucis & umbræ ars magna. Quam si tollas, pro jure vis, pro judicio violentia, pro justitia latrocinia & rapinæ, pro pace bella, pro regimine confusa dissidia subibunt. Tolle clavem Jurisprudentiæ, & tenebit clavum Juris ignorantia, regnabit injuria, imperabit effrenis licentia. Quod Medicina morbis, hoc Jurisprudentia, seu veriùs, hoc sunt jura moribus & negotiis: optimè *Justinianus in Novell.* III. Et nihil tam studiosum in omnibus rebus invenitur, quàm Jurisprudentia & legum authoritas, quæ & Divinas & humanas res bene disponit, & omnem iniquitatem expellit, ùt ait *idem Imp. in l. 1. C. de veter. Jur. enucleat.* Hîs ego perfruor, hîs delector, hîs pascor.

Atque cum fundamentum perpetuæ commendationis & famæ, sine qua nihil potest esse laudabile, honestatis præses virtùtum justitia dicatur, meritò Jurisprudentiam ab æquitate quoque vendicare sibi gloriam, quod alterum est, à me deduci patiamini. Quod ut brevius expediam, nolo enim abuti humanitate vestra, cum probè intelligam ex vestrorum animorum oculorumque in me contuitu, hunc meum patien-

tienter vos sustinere sermonem, necesse est. Revocate itaque in memoriam omne officium, quod ad conjunctionem hominum societatemque tuendam valet, anteponendum esse officio illi, quod cognitione & scientia continetur, officiisque scientiæ præferenda esse officia justitiæ, considerate enim agere, plùs est quàm cogitare prudenter, hincque non ex alio, omnia optima, præterquam ex æquitatis fonte hauriri fatebimini, Jurisprudentiæ illico ab æquitate gloriam venire, inferetis. Assertrix illa est justitiæ, dictatrix legum, legem autem rectam & à Numine Divino tractatam rationem, imperantem, justam, prohibentemque iniqua, vocitamus. Et hæc duo, si profundè rimati fuerimus, profectò, nihil Jurisprudentiâ melius, nihil legibûs sanctius, nihil hîs duobûs Divinius inter scientias etiam à nobis deprehendi posse dicemus. Namque, quidquid ad continendum populum in aliqua scientia excogitari valet vehementius, quidquid ad pestem improbitatis avertendam, salutarius, ad unitatem humanæ societatis conservandam, validius, ad strictum virtutum nexum, majoribûs in dies incrementîs amplificandum, nervosius, singula, ab unica jurisprudentia, veniunt, conferuntur.

Hæc

Hæc obviam it ſceleratis, probitatis amantes complectitur, è Rebuspublicis tyrannos ejicit, conſervatores Patriæ retinet, nihil reſpicit potentes, humiles & imbecilles defendit, ſeditioſos & turbulentos de medio tollit, Cives omnes mirifica voluntatum conſenſione conjungit, non precibûs blandîs, non auri fame, non belli minîs flectitur, in omnes æquitatis gladio & libra animadvertit. Ab hac si honeſtas requiritur, nihil præclarius, si utilitas deſideratur, nihil fructuoſius, si jucunditas ſpectatur, nihil ſuavius, si ſplendor petitur, nihil illuſtrius, ad parandam immortalitatis gloriam firmius ac præſtantius nihil. Loquar veriùs AA. ab Jurisprudentia tanquam æquitatis Arbitra unicuique ſua propria dignitas venit, major reverentiam, par concordiam, minor diſciplinam, Deus obedientiam & ſanctimoniam, inimicus patientiam, egenus operoſam miſericordiam habet. Hoc æquitatis retento clavo, ſalus Patriæ curæ, cordi tranquillitas eſt, nunquam inter varios ac periculoſos anfractus in infortuniorum ſcopulos incidimus, neutiquam naufragi perimus. Hujus adminiculô, æquum ab iniquo, licitum ab illicito diſcernimus, bonos à malo avertimus, malos ad bona ſtimulamus.

mus. Sed plura jam fortaſse, quam volebam, de re minime obſcura, quæ coram vobis dicta ſunt AA. nemo eſt credite, referente Macrobio qui Jurisprudentiæ laudes ſuſcipere recuſet, nemo qui eam non tueatur apud Stobæum, nemo qui non diſcat apud Virgilium, nemo qui pro defenſione non obſtet apud Hilarium, nemo qui apud Democritum, Platonem, Senecam, Tullium, aliosque plurimos pro legibus, juſtitia, proque honeſtiſsimo Jurisprudentiæ honore viriliter non agat.

Etſi verò antiqua literarum documenta in pulvere oblivionis ſepelirentur, ſtaret nihilominus in Te nobiliſsimæ hujus ſcientiæ dignitas, honeſtas & æquitas Vir de Eccleſia Dei, deque Republica literaria optime, Utriusque Juris Licentiate digniſsime, omni titulo venerande. Nam quantum olim Lycurgus qui Lacedemonibus, Zoroaſter qui Bactrianis & Perſis, Trismegiſtus qui Ægyptiis, Mercurius qui Cretenſibus, Solon qui Athenienſibus, Numa qui Romanis, leges tulerant, dignitatis & eminentiæ huic divinæ ſcientiæ reliquêre, tantùm à Te ornamenti, tantùm decoris, tantùm exiſtimationis, imò plus dicam, honoris in illam derivatur.

vatur.

vatur. Meritò Tibi, laborique Tuo erudito, quem indefeſsus, ferventi animo, alacri impetu, vehementi cum ardore, prompto ſpiritu, intenso cum ſtudio, quà domi, quà foris ſubjiſti, ſudori aſsiduo, quo plurimorum ingenia irrigaſti, vigiliis quas pro bono communi poſuiſti, innatis virtutibus ſingulis te commendantibus, debetur quem hodie recipis honor, debetur autem ita, ut hanc gloriam juſtò juſtiùs conſequaris. Quam commendationis acceſsionem Jurisprudentiæ facias, Illuſtriſsimus Hoſpitum Senatus hoc intelligit, turba literatorum videt, confluxus applaudentium Virorum demiratur, Amicorum corda exultant, Profeſsorum & juvenum animi accenduntur. Cùm verò ejusmodi dicendi aut ſcribendi vim, quæ virtutibus Tuis, laboribus & meritis, quæ inſtituendo hodierno congrueret applauſui, & meritò debetur, me dignoſcam minimè habere, id probè conſtare velim & Jurisprudentiam quæ Tibi reddit quod tuum eſt ab honeſtate & æquitate ſibi vendicare gloriam, & Te ab Jurisprudentia omnium ætatum prædicationem mereri. Dato igitur novo honori caput, qui jam pridem in mutuos benevolentiæ nexus amicum Jurisprudentiæ dediſti pectus, fruere laborum & me-

ritorum Tuorum laureato triumpho, ego famæ Tuæ & gloriæ æternum plaudam.

Atque illud statim mirum in hoc homine objicitur, & ex quadam virtutis veluti contentione natum, quòd ingenuis artibus & optima vitæ ratione, ita sibi ad summum in utroque Jure honorem vitam præmuniverit, ut iisdem studere omni ope videretur, in ipso verò honorum cursu, quum illos capere facilè posset, ita oblitus eorum fuerit, ut ne meritorum quidem suorum meminisset. Cujus, ut tota, quanta est luculentius magnitudo dignoscatur, omnia in Viro nostro præclara atque eximia, perscrutari conabor. Immortalitati itaque nominis sui, gloriæque maturè prospiciens, non alia nisi tutissima virtutis semita, quam graves trivere Patres antequam laureatum Juridici honoris tenerent bravium progressus est, præmisit merita, cuncta laborum Academicorum suscepit molimina, ut post consummatum sudorum & curarum cursum sub umbra Juridicæ Laureæ ex æquo coronatus tandem Doctor placidissimè quiesceret. Quodsi arctissimus est omnino dignitatis cum virtute nexus, quò melius & suus dignitati accedit splendor, & justum

justum probitati defertur præmium, ita virtutem honori, honoremque junxit virtuti, ut decus ab eo utrique reciprocè accederet. Optima ejus indoles, primis statim prodiit è cunis, nescivit sub ipsis gloria ejus latere fasciis, futura semina virtutis infans quoque natura ultrò ostendit. Habet hoc speciale generosus animus privilegium, quod adhuc ab ubere pendens, ad præclara contendet facinora, ingentes animæ vires adolescere incipiunt, jam adultam orbis expectationem adimplent. Quæ ingenii maturitas, & quantæ industriæ fruges Viri hujus futuræ essent, ad quæque optima & honesta componi in adolescentia virtus comprobavit. Quare a ludis & ludicris puerilibus alienus, indolem egregiam maximorum quorumvis capacem, ad seria duntaxat aptabat, naturam utpote in bonum semper propendentem, ad virtutem & honestatem provexit, eamque & literarum culturæ, & rei literariæ negotiis sacravit. Ut verò excelsa hæc indoles, in sua puerili ætate tam pulcherrimis dotata progressibus, minimè sterilesceret, imò plùs ad majora perfectionis accresceret incrementa, Regni Scholæ & Academicis obeundis laboribus anno Christi 1748. libenter eam submisit.

misit. In hac, cum suum posuisset pedem, nullum labori subtraxit manum, indignum viro præsertim Academico reputans timere laborem, in omni semita eruditæ virtutis vestigia impressit. Hæc illi erant, quibus tenebatur, Prima Laurea ornatus oblectamenta, id unum à labore perfugium, proinde ac quæ res defatigationem adferunt, ejus reficiebant animum & levabant.

De Professore tandem Academico liberalibus in Artibus 1749. Doctorali Laurea insignito, quid statuemus AA? Opus est ut cum Orpheo lyram teneat, cum Archimede circinum, cum Vitrurio perpendiculum, cum Ptolomæo astrolabium, cum Alphonso tabulas, cum Athlante sydera, cum Thalete pondera, cum Halisio specula, cum Zenone tempora, cum Pomponio climata, cum Chrysippo numeros, cum Euclide figuras, cum Archita mensuras, cum Platone ideas, cum Aristotele syllogismos, cum Marone pòémata, cum Tullio dicendi genus, cum Dyonisio Areopagita hierarchiam cælestem, ut cum singulis de singulis artibus & scientiis possit ratiocinari, & ita ratiocinari, ut aliquis Carneades approbet, Ari-

star-

ſtarchus aſteriſco inſigniat, Cornutus non faſtidiat, Perſius oblectetur, Seneca ſeligat, Stoici contra ſuam naturam mirentur, Pythagorei ſupra naturam ſpeculentur, Epicurei ſecundùm naturam venerentur, Lælius Decimus, aut Varro doctiſsimus, prudentiam, copiam, & ornatum penitus non requirant. Quocunque proceſserit in inceſsu gravitatem, in lingva eloquentiam, Arithmeticam in digitis, Dialecticam in ingenio, Ethicam in moribus, timorem Domini in corde, in vultu totoque corporis habitu omnes virtutes, tanquam perpetuas comitates ſecum ubique circumducat. Sit inſuper heroico animo, quem non facilè frangat labor, non deprimat egeſtas, non œmulus bonis ingeniis conficiat livor, non contentio, non vigiliæ, non graves quotidianæque lucubrationes exhauriant! Magnum eſt igitur Profeſsorem eſse, præſertim in ea rerum omnium difficultate & tenuitate, qua nulla major excogitari poteſt. Quod cum conſiderant, aut jam uſu conſequuntur imbecilliores animæ, memores ſuæ tenuitatis, qua data porta ruunt, haſtas abjiciunt, aliò ſpes ſuas conferunt, alium ad ſcopum ſagittas dirigunt. Ferreus ſis, aut ex adamante conflatus, ait illorum non nemo,

proſter-

proſternet te labor improbus, dejiciet egeſtas, extingvent frigora, nullus hìc niſi macie confectus, exhauſtus vigiliis, attritus laboribus, vivam mortis circumfert imaginem. Non hæc otioſorum hominum deliramenta curabat, ac ne in animum quidem laborioſus noſter Profeſsor admittebat, cujus ſingulare oblectamentum erat, libris jugiter accumbere, ſedatæ lectioni dierum noctiumve redeunte vice, ad Solis labores & Cleantis invigilare lucernas. Ita inſtitutum ſuum amplexus eſt, ut indefeſſus & laborioſiſsimus Profeſsor in Doctorali cathedra videretur. Quocunque ſive vota Patrum obedientem vocarent filium, ſive roſtra ſacrum profanumve exigerent oratorem, ſive longè latequè per ampliſsimas Poloniæ, Provincias diſsitæ Academiæ, Scholæ, Coloniæ doctiſsimum Magiſtrum protraherent, ubique lætus & alacer, amore boni publici & commodi incitatus, quodvis onus liberrimè ſuſcipiens, ferre minimè recuſavit. Si alicubi, certè hìc potiſsimum, prudentia ejus in rebus gerendis & non fucata in docendo eminuit eruditio, qua ſubjectos regebat juvenes, qua ſcholaſticas ſtabiliebat leges, qua caſtigabat improbos, qua tuebatur bonos, qua laudabat dili-

gen-

gentes artium honestarum cultores, qua hortabatur ad decus, revocabat à flagitio, laudis prædicatione afficiebat & præmio, præceptis, adhortamentis, exemplis, diligenter formabat.

Sed cùm ea sit virtutis natura, ut locorum nunquam limitetur angustiis, quid enim virtutis comes, nisi gloria, jam scilicet laborem pro labore tanquam præmium & solatium pulcherrimum lucratus est, cùm in Collegium Artistarum, quod minus appellatur, propter minimas redituum fortunarumque accessiones, more solemni Majorum vocatus fuerat. Quantus in hac Domo, quamque gravis labor Viro huic impositus, nemo nisi expertus intelligit, qui fortissimarum nonnunquam virium Viros, quametsi deprimat & afficiat, animo & corpore erectus, generosos ei supposuit lacertos. Hæc enim præcipua est magnorum Virorum gloria, quòd impendentes labores, quos timidæ solent expavescere mentes insuperabili perferant virtute, & adversus quasvis molestias imperterritum animum obfirment. Collegæ, nemo fastum, nemo mordacem linguam accusavit, nemo extra Collegium adulatricem notavit lavernam, quæ furtim bonorum Virorum

famam

famam bonam, existimationemque radere ässo-let. Colebat humanitatem sine intermissione cum omnibus, sine simulatione amicitiam, sine fuco candorem, sine exprobratione liberalitatem, sine æmulatione charitatem, sine ostentatione pietatem, cæterasque omnes liberali homine dignas virtutes, sine nævo colebat. Nihil erat tam abditum, quod eum lateret, nihil in disputatione aliqua tam arduum positum, de quo non verissimè judicaret, nihil tam varium, quod non statim adriperet. Ob quas virtutes, vitæque probitatem, & egregios in bonis disciplinis conatus, placuit omnibus vehementer, sed imprimis præmiatrici virtutum præmiorumque dispensatrici, Matri Universitati placuit, dum eum Collegio Virorum juridico annô 1763. associari voluit & curavit.

Hoc laborum meritorumque suorum decoratum honore, quiescere jam à laboribus crederetis AA, minimè, quo majus ejus eruditæ virtuti, tanquam debito accessit præmium, ab Jurisprudentia etiam omnium ætatum voluit prædicationem mereri. Itaque monstrum esse otio deditum cùm judicaret hominem, nullamque

que ſui memoriam inter mortales relinquere, de labore in laborem procedens, ſudoribûs ſudores abſtergebat, operoſis negotiis, ad magna natus, animum conſecravit. Quid hoc genere laudis glorioſius eſse dicemus? non enim benigniſsimus rerum omnium effector Deus, ideo robur corpori, animoque infudit, ut in gremio deſidiæ compreſsis manibus ſedentes deliteſcamus, ſed induſtriæ dediti, digna homine aggrediamur opera, non ideo clariſsimum ingenii lumen ab increato Sole in nos derivatum eſt, ut illud caligine ignorantiæ tumulemus, ſed ut nova ſemper artium & ſcientiarum luce, acutius reddamus, neque ideo perſpiacem oculorum aciem, providum nobis donavit Numen, ut illam torpore deſidiæ obtundamus, ſed quò de itinere, ad faſtigia virtutum nobis optimè proſpiciamus. Nemo otio litans, unquam trophæa compoſuit, nemo ultra Endymionem negligentiæ indormiens, lauream promeruit, nemo palmam deſidia eripuit, nemo torpore victorias reportavit, nemo remiſsus à laboribus immortalitatem ſui nominis poſteritati reliquit. Bellô emitur victoria, ſudore gloria, labore triumphus. Otium malefacti principium, rubigo ſapientiæ & ingenii,

D mater

mater nugarum & noverca virtutum, omnium eſt radix vitiorum. Perſpexit hæc ſingula, ut inoffenso vitæ curſu ætatem viveret, Vir eruditione & virtute commendatiſsimus, eruditos proin labores minimè otioſus à capite repetiit, non alium horum, niſi eundem, quem & mortalis vitæ exitum habiturus. Intelligebat ille planè nullam ſcientiæ viam eſse imperviam, si conatus & labor accedat, quæ improbitate ſua omnia vincunt. Novit in arduo montis domicilium habere Muſas, verùm eo quoque induſtria volari poſse, si aliter perveniri non poſsit. Quæ quidem omnia cum ſudorem induſtriamque exigant, & maximam & diuturnam, mirandum non eſt, tam aſsiduo ac pertinaci labore, Virum noſtrum in literario pulvere deſudaſse. Cùm verò experientia magiſtra didicifset id, quod Græcus ille Metrocles ſapienter dictitabat, nimirum: res alias omnes emi poſse pecuniâ, literas verò tempore, nihil erat omnino, quod tam accuratè ac tam religiosè ſervandum eſse putaret, quàm tempus. Hinc vel exiguam diei particulam per otium deſidiamque traducere, impendium omnium graviſsimum cenſebatur. Ac proinde ne momentum ſibi otioſè unquam efflueret, quod

quan-

quandoque potui, quod cibo tribuitur, cum aliquo eruditionis ſtudio conjunctum eſse volebat.

Ut verò laudabili omnium æſtimatione floreret, â quo docto conflictu receſsit? nihil ſanitati, nihil vitæ pro bono publico parcens, quæque maxima agreſsus eſt. Si laborioſum, eſt de Juris poteſtate atque dignitate cum malevolis hominibus, qui Jurisdictionem Epiſcoporum tollere, omnem legibus Divinis & humanis approbatam auctoritatem eripere conantur, certare, is laborioſam hanc ſanctamque pugnam, non animoſè tantùm ſed etiam libenter & alacriter quoties non ſuſcepit? quoties gloriosè non perfecit? etiam in præſentiarum contra Jacobum Gothofredum honorificè defendit. Periculoſum eſt inveteratas conſuetudines de nefario ſcelere contra libertatem, immunitatemque Eccleſiaſticam armatas, maleferiatis capitibus evellere, egregiâ ſuâ diſsertatione Profeſsor expoſitâ, præſtitit. Sed quid alia ex utroque Jure opera commemorem, quibus arrogantis populi confuſionem? ſuâ prudentiâ ſuſtulit, adverſariorum vecordiam, fortitudine ſuperavit. Quid de illis laboribus quos in ne-

gotiis Unniverſitatis pluries ſuſceperit, quanta prudentia, conſilio, virtute, promovit, quidquid ſive ad ſtudiorum incrementum, ſive bonum nomen & famam Academiæ attinet, cum omni cura, ſolicitudine, & conatu propagavit. Qua cum animi dulcedine Rectorem Poſnanienſis Academiæ proferam? lucubrationes ejus in publicum prodeuntes literati Viri ſive legerent, Juventutis regimen tenentem, ſive qui noſcerent, ſive qui viderent, ſive de bene geſto audirent, plurimùm adamarent. Quo tandem factum eſt, ut ad Lauream Doctoralem in Utroque Jure, quæ immortales animos reddit, & vehementer concurreret, & diuturna rectegeſtorum ſerie præmiſsa conſequeretur. Supereſt, ut in hoc honoris conſtitutum gradu, omnes incolumem eſse velimus, & quæque proſperrima ab immortali Numine poſtulemus.